

Petrus de Vinea

*Ep. V 120 (Milites uestri, latores
presentium, fideles nostri...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 120 (Milites uestri, latores
presentium, fideles nostri...)*

1220-1250

Quod fiat emenda militibus, qui equos et arma in exercitu perdiderunt.

1. Milites uestri, latores presentium, fideles nostri, qui dudum per uos ob nostrae reuerentiam maiestatis ad nostra seruitia destinati, ut eisdem seruitiis fideliter permanerent, excellentiae nostrae humiliter supplicarunt, ut, cum pro uobis et Communi uestro in eisdem seruitiis, in partibus Cremonensium, contra Parmenses et alios proditores nostros moram traherent nobiscum de mandato nostri culminis speciali, plura sint grauia passi dampna, ut asserunt, tam de equis et rebus aliis amissis, quam de destitutione domorum, sumptibus propriis in Victoriam factarum, ipsis fidelibus nostris dampna passis prefata dignaretur nostra serenitas prouidere. 2. Cumque eisdem fidelibus nostris, qui circa seruitia nostra multipliciter laborarunt, obsequia esse dampnosa non debeant sed potius fructuosa, ipsorum supplicationibus inclinati, fidelitati uestrae precipiendo mandamus, quatenus, si uobis constiterit de premissis, dummodo non repugnet ciuitatis uestrae Statutum, in iusta et conuenienti emenda equorum ipsorum amissorum et dampnorum refectione debita debeatis eisdem fidelibus nostris ipsorum labores et onera resarcire, ne ob hoc iuste cogantur culmini nostro querimoniam iterare, et ad futura obsequia nostra et Communis eiusdem, in posterum facienda, torpeant in aliquo uel tepescant.